Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1845
Quelle:
Copyright:

quam igne cremaretur Vienne in Austria Anno 1528. totus factus errabundus pueros noluit confiteri, an saluentur uel damnentur, sed idipsum committendum esse misericordie dei et eius omnipotentie. Etiam Anabaptismum semel abiurauit et reuocauit in Ciuitate beluetiorum Zurch &c.

CCCCLXIV.

659 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 29. 4. inscribitur: *Colloquia privata Super publico colloquio pro concordandis nonnullis in christiana Religione controuersijs, nuper Vuormatie cepto, Ratisbonæ uero (quod faxit Deus Opt.) in Comitijs Imp. consumando. inter D. Fridericum Nauseam, M. Philippum Melanchtonem, et M. Bucerum habita.* Sequitur: *Additus est etiam Catalogus Doctorum tam Catholicorum, quam Protestantium, Vuormatie presentium.* Verum *Catalogus* is in Exemplo non comparet. Denique infra haec adscriptum alia manu: *Ex hoc Exemplari Vienne impressus est hic tractatus.* Et adjacet mihi haec Impressio, quam *tribus* Exemplis servat Bibliotheca Augusta, quamque, ut nec Locum, nec Annum praeferat, testimonio tamen *Codicis*, et characteribus Officinae *Singrenianae* noscendam in *Supplemento Historiae* meae *Typogr. Vienn.* vernac. descripsi. Colloquio *publico Wormatiae* initium datum est 13. Jan. 1541. inter *Phil. Melanchthonem* et *Joh. Eccium* Moderatore *Granvellano*, finis impositus 17. ejusd. mensis, tractandis omnibus ab Imperatore *Ratisbonam* avocatis. Noster vero privatus congressus inter Viros supra nominatos, quibus accensendus D. *Casp. Cruciger*, incepit 19. *Dec.* 1540. in aedibus *Joh. Frid. Aurinodii* Doc. Theol. et Praedicatoris Eccl. *Wormat.* ubi *Nausea* e lithiasi aeger decumbebat. Constat is praeter oretenus ultro citroque dicta Epistolis *Philippi* ad *Nauseam* III. *Buceri* ad Eundem IV. quarum ultimae maxime prolixae in *Cod.* et *Impressis* subditur: *Respondisset ad hec omnia ipse D. Nausea, nisi preter omnium opinionem ob Imperatoris aduentum solutus fuisset Colloquij Conuentus, Die XVII. Januarij, Anno* MDXXXXI. Atque hic fuit hujus, ut omnium, Colloquii eventus, in quo tamen humanitate et moderatione utrinque certatum est.

CCCCLXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 564
XVI. Folior. 342. continet Scripta Polemica *Johannis Felicis* cujusdam *Poloni* O. M. quorum breviter texemus Catalogum, cum iis immorari operae pretium non sit, unde et a *Waddingo* in *Scriptt. Ord.* fui praeteritus videtur. *Epistola ad illustrissimum Regem Romanorum ac Boemorum ferdinandum cum omnibus filijs suis*, in qua *Luthero* offertur Monomachia: *eo pacto vt victus decolletur*